morem liberandae patriae excessisse dicitur. Hic enim cum esset
celebrior ea tempestate suis contribulibus nobilitate, morigera-
litate, gravioreque omni probitate, et vidisset gentem suam
patriamque humiliari hac[a] deiectam pati: elegit zelo ductus po- [a] i.e. ac.
tius mori, quam funditus rempublicam everti, et turpiter videri
maculari. Et quia cunctorum hortatu egit, illicitum erat dimit-
tere multo magis ut patriae se opponendo non occurreret, quam
illicitum sacramentum sese ocultus servando simul ipse cum
patria et tota gente periret. Felix certe culpa, qua cuncta re-
dimitur patria. Qui igitur pereunti subvenire potest et opem
non supponit, idem procul dubio actor necis existit. D. Illici-
tum quippe lex dicit, iurare et peierare. A. Lex itaque econtra
praecipit patriam defendere, et eum, qui opem non tulerit, puniri.
Legum enim contrarietas plurima est. In eodem enim vetat, in
quo imperat, quae talia utilitas reipublicae sequestrat. Verum-
tamen maior est lex quae vetat, quam ea quae imperat; quia
cum vetat, reprimit ea quae iniuste aut incaute vel inspare[a] [a] leg. insperate.
imperat. Si itaque is, qui patriam perdidit, penam meretur: f. 115.
multo magis his, qui defendit, maximis praemiis et praeconiis
dignus habetur. Si igitur filius ecclesiae fuerat, eam discerpere
et labefieri videns, pro viribus sese obniti debuerat. Alio-
quin tempore hostili omne ius omneque illicitum cavere, quid
est aliud nisi patriam perdere et necem inferre? Silent
quidem leges inter arma. D. Illicitum enim iurare et non
observare fuerat? A. Illicitum lex dicit, ut peregrinus mu-
rum civitatis ascendas; quod si feceris, puniatur. Itemque
lex dicit: Qui hostem ad murum conantem viderit et non